

biamo ricavato direttamente (55) dalla pergamena relativa dell'Archivio di Barcellona (56):

In nomine Domini Amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo undecimo. Pontificatus sanctissimi in Christo patris domini Clementis Pape quinti anno sexto die vicesimo octavo mensis aprilis IX iudictionis.

Noverint universi quod in presencia principissarum illustrium domine Marie Jerusalem Sicilie ac Ungarie et domine Sancie Jerusalem et Sicilie Dei gracia Reginarum mei notarij aliorumque testium subscriptorum inter illustrem Principem dominum Robertum eadem gracia inclitum Regem Jerusalem et Sicilie Ducatus Apulie et Principatus Capue Provincie Forcalquerii et Pedimontis Comitem ex parte una et virum spectabilem dominum Philippum fratrem suum Principem Achaye et Tarenti Dominum Regni Albanie et Despotum Romanie ex altera bona eorum et gratuita voluntate facta est et confirmata convencio infrascripta. Videlicet quod ubi prefatus dominus Rex procurare seu obtinere poterit quod princeps magnificus dominus Fredericus Trinacrie Rex illustris insulam Sicilie quam tenet et tenere debet ad vitam suam ex convencione pacis dudum inite inter clare memorie principem inclitum dominum Carolum Secundum Jerusalem et Sicilie Regem illustrem et dictum Regem Fredericum per Sanctam Romanam Ecclesiam confirmate cum omnibus insulis civitatibus castris fortelliciis iuribus et pertinenciis suis omnibus velit in vita sua restituere et tradere dicto domino Regi Jerusalem et Sicilie pro habendo ab ipso domino Rege excambio in subscripta terra prefati domini Principis Achaye et Tarenti. Idem dominus Princeps ad requisicionem eiusdem domini Regis Jerusalem et Sicilie vendet et vendicionis nomine quam ex nunc prout ex tunc fecit tradet et assignabit effectualiter et realiter ipsi domino Regi seu suis procuratoribus et ministris pro eo Regnum Albanie cum civitate et